
# Monumentum Virtuti
*Pietati*
*Prudentiæ*
Animi Candori
Sinceritati
ac Vigilantiæ
*Viri Nobilissimi, Amplissimi, ac Prudentissimi*
DOMINI

# JACOBI GIERINGII,

Consulis Thoruniensis benemeriti,
Ipso Exequiarum Die
1ma Mensis Martii,
Anno Salutis recuperatæ M. DCCXI.
Amica posuerunt manu
Intus Nominati.



*THORUNII,*
*Impressit Joh. Nicolai, Nobiliss. Senat. & Gymnasii Typogr.*




*Lipsia quando meis studiis monstravit Hodegos,*
*Ac ædes nostras texerat atra dies.*
*Tu mihi promtus eras, o conjunctissime Giering,*
*Dilectæ Matris significare necem.*
*Par refero. (verum si nunquam rite referrem)*
*Cum deploro Tui funera mæsta Patris,*
*Qui pectus mæstum mæsto mærore replevit,*
*Ille Deus læto roboret usque bono*
*Ut patriæ afflictæ possis adferre levamen,*
*Et numerare tuæ sedulitatis opes.*

*Hæc in memoriam Amplissimi B.*
*Dni Parentis & solatium tui pos.*

Henricus Prochnau,
SS. Theol. Cul.

---

*O Tragica Obitus acerbissimi Enunciatio!*
*O luctus, Gieringianæ Domus! Proh dolor! O vulnus!*
*O novercantis Fortunæ calamitas!*
*Acerbissima hodierno die dolendi existit materies.*
*Supremum diem obiit Civium delicium, Domus suæ Ornamentum & Solatium,*
*Reipublicæ Thoruniensis Columna, Senatus Amplissimi magna Portio,*
*Nobilissimus & Amplissimus Consul, & Judex Neopolitanus,*
JACOBUS GIERINGIUS,
*Sua virtute clarus, clarior & fama virtuosa, quæ nullos agnoscit limites.*
*Quanquam in Libitinæ inopinatò venerit rationes, restant tamen perspicua virtutis monumenta,* Per

*Per momenta vitæ brevis, immortale Decus sibi paravit,*
*Momentaneæ felicitati visionem beatam, nunquam visam prætulit,*
*Judex justissimus, contra Jura? Absit! Justitiam aliis administrans rigori Justitiæ submittitur;*
*Amplissimus Consul, in toga negotiisque versatus, plurimos consilio juvabat,*
*Jam inter concilia fortunata piorum, consiliis eorundem seipsum sublevat;*
*Beatitudinem pro remuneratione officiorum beate sibi promittens.*
*Prudentia illius utilitati publicæ & radices & flores largiebatur uberrime.*
*Quantum enim rerum, quantum exemplorum, quantum Antiquitatis tenuit?*
*Jam Seipsum nobis exemplum sistit mortalitatis,*
*Rerum omnium fatalitatem ostendit, Antiquitatum exitum celerem edocet.*
*Candor animi, candidæ vitæ fideiq; hactenus testis in animis civium candidis reviviscit monumentis.*
*Hunc animum hanc virtutem suam ultro periculis objicere, nimis grande pretium vitæ suæ putabat.*
*Jam Candor argenteo & candidiori apparet ornatu, annexa expositione: Vigens Canities;*
*Campus rubicundus, in quo prout miles Christianus pugnabat,*
*Rubicundi Amoris in Deum & Patriam Vates.*
*Plus quam aureis radiat radiis addita interpretatione: Inexhaustæ Felitatis Divitiæ.*
*Non diminuerat amorem ac animi propensionem in quemvis, severitatis exercitium;*
*Serenus potissimum remansit in quemlibet vultus, mite benignitate supercilium.*
*Commiseratione maxima æstuans in egenos illi fuit animus,*
*Constat superque satis, fontem illius benevolentiæ irrigasse plurimos,*
*Cum ex fonte svavitatis ac omnium salutis*
*Uberiores speraret exundantes aquas.*
*Nec hæc silentii peplo involvenda judicamus;*
*In dijudicatione Causarum sine ira & fervore*
*Placidum & cuivis obvium se exhibuisse.*
*Grata igitur gratorum remanet eundem Memoria.*
*In ipso nihil tumidum aut arrogans fuisse,*
*Munerum corruptionem in sententiis respuisse,*
*Pium sine fuco, & fastidii in munere nescium,*
*Fastidiens mundi delicias.*
*Hinc omnium meruit favorem,*
*Nullius invidiam, nisi mortis.*
*Vigilantia ejus in rebus publicis altas agebat radices:*
*In salute Patriæ vigili mente salutem suam querens.*
*Ast eripuit & abstulit se oculis nostris fulgida Virtus.*
*Exspectare negat seculorum tempora sera.*
*Pallida mors aperto funere mersit*
*Mæcenatem Amplissimum,*
*Procerem Magnanimum.*
*Habuimus in Nomine edecumati Jacobi Nomen edecumatum,*
*Patrem Patriæ observantissimum,*
*Qui totum curis publicis in salutem Patriæ se mancipaverat,*
*Sed augusta morte coarctatum modò animadvertimus,*
*Quia augustissimo Numini suas dicavit operas.*
*Durum quippe videtur,*
*Mæstissimo Filio, Amico integerrimo,*
*Aliisque Cognatis,*
*Suspiria, & voces lamentabiles sustinere,*
*Tantoque dolori acerbissimo moderamen adjicere,*
*Huicque medelam invenire;*
*Ast secum reputantes:*
*Non minimæ felicitatis partem esse, ad felicitatem celeriter transire,*

Lubenti

*Lubenti nunc animo funeris extremum illi largiuntur honorem.*
*Probe sibi conscii :*
*Fatalitatem rebus singulis imminere,*
*Communique naturæ legi non inconveniens esse,*
*Mortales ad mortalitatem subito natura imbelles deproperare,*
*Et velut umbram sui sole revertente repræsentare ;*
*Sapientum judicio innitentes,*
*Vitam hanc peregrinationem existimari, breve itineris compendium.*
*Quapropter gratulemur non invideamus Nobilissimo Consuli talis vitæ compendium,*
*Ad veram & vividam vitam migrationem.*
*Imago terrestris saltem periit,*
*Ipsa æterna in meliori statu collocata relicta.*
*Inter felices animas feliciori decurrit cursu,*
*Gaudiaque gaudet pia.*
*Jacturam hanc*
*Viri gravissimi, Patris simul svavissimi,*
*Filio lugenti,*
*Plurima Tristitiæ signa dedisse constat.*
*Verum tamen lætior subnascitur spes.*
*Generis sui stirpem in illo genuit,*
*Imaginem sibi non dissimilem,*
*Imaginem inquam, licet fragilitati humanæ obnoxiam,*
*Virtutibus tamen minime disparem.*
*Mitte igitur has lachrymas,*
*Nobile Virtutis Germen,*
*Patrii Decoris Propago.*
*Et Fragilitatem naturæ humanæ ac imbecillitatem mirare, rimare,*
*Feramus æquo animo divinum arbitrium, a summo rerum Arbitro datum,*
*Tibi autem Proles generosa Parentis, ad magna nata,*
*Sol gratiæ divinæ radios spargat semper fulgidos,*
*Splendeat paterna virtus virtuoso in Filio,*
*Gratiosum Cœlum concedat gratiose perfrui honoribus amplissimis,*
*Stella perpetuae felicitatis verticali inhærens puncto,*
*Absque infortunii fulgure perpetuo fulgeat.*
*Teque sospitem ac incolumen seram in usque aetatem Patriae conservet.*

Hæc pauca amico integerrimo lugenti obitum
Genitoris sui mœstissimo apposuit animo

Salomon Ernestus Lürke, J. U. C.

